



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

Sect. I. Qui, & quorum peccata possint reseruare.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

hi autem possunt tunc accipere, & acceptare illam facultatem, quæ cum semel sit penes ipsos, poterit postea eidem Prælati facto subdito communicari. Cessat ergo in vitroque casu ratio, ob quam non poterat Prælati dare sibi ipsi immediate eiusmodi facultatem, eò quod non inueniretur subiectum capax illam recipiendi tunc quando ipse poterat eam concedere.

47. Obijcies vltimò, ex his sequi quòd delegatus aliquando habebit maiorem auctoritatem, quàm habeat ipse delegans. Si v.g. Summus Pœnitentiarius Pontificis potens absolvere, vel dispensare in tali casu, & potens delegare illam facultatem, communicet, vel deleget Titio facultatem generalem absolvendi, vel dispensandi in illo casu: & postea Pontifex limitet potestatem Pœnitentiarj, & auferat ei potestatem illam ad talem casum: tunc Titius, cui Pœnitentiarius illam facultatem dederat, retinebit adhuc illam, quam iam ipse Pœnitentiarius non habet. Probat sequela: quia si mortuo, vel amoto ab officio delegante, non expirat potestas in delegato: ergo multò minùs expirabit ex eo, quòd delegantis potestas sit aliquantulum diminuta.

48. Respondeo dupliciter posse Pontificem auferre illam facultatem. Primò, reuocando omnes facultates, seu, quod idem est referuando sibi, vel alicui Tribunali determinato illam facultatem absolvendi, vel dispensandi: & tunc non est dubium, quin delegatus ille amitteret suam facultatem per referuationem de nouo factam. Secundo, posset Pontifex soli Pœnitentiario, v.g. auferre illam facultatem, quam priùs Pœnitentiarij habebant: & tunc non video, cur delegatus, qui iam antea acceperat illam facultatem à potente eam communicare, debeat illam perdere. De facto enim in Bullario Regularium plures facultates, & priuilegia inueniuntur concessa Regularibus à Summis Pœnitentiariis qui ea concedere poterant: quæ certè non amitterentur, licet Pontifex nunc extingueret omnino officium Summi Pœnitentiarj. Ergo à fortiori non amitterentur, licet officium illud limitaretur, vel quoad aliquid diminueretur. Ad valorem enim illius facultatis non debet attendi, qualem potestatem habeat nunc, qui illam concessit: sed qualem habebat tunc, quando illam concessit. Si ergo poterat eam concedere, & concessit abque limitatione, & in perpetuum; non mirum, quòd delegatus, cui Pontifex nihil aufert maneat quoad illum casum cum maiori potestate, quàm is, à quo illam accepit.

## DISPUTATIO XX.

## De Ministro confessionis in ordine ad peccata referuata.

SECTIO I. *Qui, & quorum peccata possint referuare.*

SECTIO II. *Quæ peccata possint referuari.*

SECT. III. *An possit Episcopus pro libito referuare casus absque legitima causa.*

SECTIO IV. *An, & quomodo Prælati Regulares possint referuare peccata.*

SECTIO V. *De eo, qui potestate ordinaria absolueret potest a referuatis.*

SECTIO VI. *Virum superior possit audire sola referuata & absolueret penitentem ab illis.*

SECTIO VII. *Virum facta semel confessione cum P. Ioann. de Lugo, de Pœnitent.*

potente absolvere à referuatis, censetur ablata referuatio pro omnibus, quæ penitens propter obliuionem omisit.

SECTIO VIII. *De Ministro, qui ex potestate delegata potest a referuatis absolvere.*

SECTIO IX. *Virum Regulares possint virtute Bullæ Cruciatæ absolui à casibus suis Prælati referuatis, absque eorum licentia.*

SECTIO X. *An possit aliquando absolui directè subditus a referuatis, sine recursu ad Superiorem.*



IXIMVS de potestate iurisdictionis requisita ad absolvendum; nunc magis in particulari agendum de facultate, & iurisdictione requisita ad absolvendum à referuatis, quod ad praxim omnino necessarium est, ad quam conabimur non solum regulas communes assignare, sed iudicare etiam earum applicationem ad casus particulares magis dubios.

## SECTIO I.

*Qui, & quorum peccata possint referuare.*

CERTUM est de fide, esse in Ecclesia potestatem referuandi peccata non solum quoad exterius iudicium, & politiam: sed etiam apud Deum ita vi, facta referuatione, absolutio data ab inferiori non sit valida coram Deo. Quod contra VViclephum latè probat Valdens. secundo tomo de Sacramentis, cap. 149. & contra Hæreticos nostri temporis definitum est expresse in Tridentino sessione 14. c. 7. vbi ex natura, & conditione iudicij, quæ huic Sacramento competit, & ex Ecclesiæ vlu id probatur, & definitur extra mortis articulum Sacerdotes alios in casibus referuatis nihil posse, & referuationem non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere: quod idem postea canonè 11. repetitur. Ratio autem est clara, quia cum in hoc Sacramento requiratur non solum Ordinis potestas, sed etiam iurisdictione, quæ inferioribus à Superioribus communicari debet; consequens est, ut Superior possit hanc iurisdictionem magis, vel minùs limitare, dando illam ad plures, vel pauciores personas: ad plures, vel pauciores causas, prout ipsi visum fuerit: quod est referuare sibi absolutionem earum, quas inferiori non concedit.

Hinc constat primò, Summum Pontificem pro suprema, & vniuersali potestate posse sibi referuare aliqua peccata pro tota Ecclesia: Episcopos item, per se loquendo, posse pro suo Episcopatu: Parochum denique pro sua parochia: ita tamen, ut referuante Pontifice, nemo possit absolvere, nisi de licentia ipsius Pontificis: referuare Episcopo possint absolvere alij de licentia Summi Pontificis. Denique, si Parochus referuaret, possent alij absolvere de licentia Papæ, vel Episcopi. Et idè non solent Parochi referuare: quia esset fere inutilis illa referuatio. Possunt item Prælati Regulares, etiam locales, referuare sibi aliqua peccata, nisi prohibeantur à Superioribus, prout prohibiti sunt de facto à Clemente VIII. referuare, nisi certa peccata expressa, de quo postea dicemus.

Difficultas esse potest, quomodo possit Episcopus referuare sibi aliquos casus, à quibus Parochi absolvere non possint. Nam Parochi, eo ipso, quod sunt Parochi, sunt Pastores, & habent iurisdictionem ordinariam in suas oues, quam iurisdictionem non videntur omnino habere ab Episcopo.

N n 3 copo.

copo, sed ex institutione Summi Pontificis, à quo procedit parochiarum diuisio. Et licet aliqui Parochi accipiant beneficium ab Episcopo, & dependant ab illo in fieri; non tamen videntur dependere in conseruari: cum beneficium semel collatum non possit Episcopus auferre sine grauissima causa in pœnam delicti; quomodo ergo potest Episcopus facere, quod Parochus manens Parochus non habeat iurisdictionem in suas oues, & non possit eas absoluerè?

Concil.  
Tndent.

Pater Suarez in *presenti disput. 29. sessione 1. n. sexto* & Pater Vasquez *quest. 91. art. 3. dub. 1. num. 10. cum Nauarro in summa, cap. 27. numer. 263.* dicunt Episcopos habere ex concessione, & commissione Pontificis, reseruare posse peccata, & Parochorum potestatem quoad hanc partem limitare. Hæc tamen responsio non videtur mihi satis iuxta mentem Tridentini *di. 10. capite septimo*, si eius verba attentè considerentur: sic enim ait Concilium: *Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem* (scilicet reseruare sibi peccata) *Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in adificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Vbi concilium videtur hanc potestatem in iure potius fundare diuino, vt constat ex illis verbis: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & ex illis: Pro data illis in subditos auctoritate.* Sicut ergo Christus voluit Episcopum habere auctoritatem maiorem in subditos, quàm alios Sacerdotes; sic voluit, quod possent sibi aliqua peccata reseruare, à quibus alij Sacerdotes absoluerè non possent.

Possumus potestatem utrumque dicendi modum conciliare, si distinguamus concessionem directam, & indirectam; & dicamus; directè fundari hanc Episcopi potestatem in iure diuino, indirectè verò in voluntate Pontificis: ex institutione enim diuina est, vt sint Episcopi, qui potestatem habeant in suos subditos, & qui eos debeant pacificare per se, vel per alios, quibus id munus possumus committere plus, vel minus, prout visum fuerit. Vnde poterunt reseruare sibi aliquam partem iurisdictionis, quam nollent communicare inferioribus. Quia tamen Summus Pontifex, vt Supremus Pastor; debebat etiam Episcopos dirigere, & eorum ouibus providere; ideo ipse instituit Parochiarum diuisiones, & voluit illos perpetuò durare in suo munere, & curam habere immediatam de suis parochianis, & habere potestatem in illos, sicut haberent ij, quibus Episcopi id committerent. Vnde non est dubium, quin, si Pontifex dedisset hanc potestatem Parochis absolutam, & independentem ab Episcopis; sicut eam dat Religiosis; quod Episcopi non possent eam limitare per casum reseruationem: sicut neque Religiosis poterant ante decretum Clementis VIII. qua ablata fuit facultas Religiosis absoluerendi à reseruatis Episcopo intra Italiam. Cœterùm, quia Pontifex noluit ita eximere Parochos à subordinatione Episcopis debita; reliquit eos, sicut essent, si fuissent meri Vicarij ab Episcopo constituti; ita vt licet plures Parochi accipiant beneficia sua ab ipso Papa, & ij qui accipiunt ab Episcopo, non sint amouibiles ab ipso; adhuc voluerit Papa, quod subessent Episcopo, sicut si ab ipso pro libito possent auferri.

Neque ex hoc sequitur, quod Episcopus possit pro libito auferre, vel extinguere Paro-

chi munus. Nam in primis exemplum est clarum in ipsis Episcopis, quorum institutio, quoad gradum, est de iure diuino. Et licet Pontifex non possit, saltem licet, extinguere, aut tollere omnino Episcoporum iurisdictionem; potest tamen limitare eorum potestatem, reseruando sibi plura peccata, à quibus Episcopi non possint absoluerè: ita enim expediebat ad debitum ordinem in Ecclesia seruandum. Ergo eodem modo, licet Episcopus non possit omnino tollere iurisdictionem, & potestatem Parochorum; poterit eam limitare, reseruando sibi aliqua peccata. Ad hoc ipsum est optimum exemplum in Prælati regularibus, in quibus licet generalis non possit extinguere, aut tollere potestatem inferiorum Prælatorum, potest tamen sibi aliqua reseruare, & possit plura, nisi fuisset prohibitus per decretum Clementis VIII. vt dixi. Stat ergo bene, quod Episcopus possit reseruare aliqua peccata, & limitare potestatem Parochi, licet hæc non sit auferibilis ab ipso Episcopo.

Confirmatur ex eisdem exemplis: quia, licet Papa non possit licet extinguere officium Episcoporum; potest tamen eximere plures ab eorum potestate, & facere sibi immediatos, prout de facto eximit Regulares, & alios seculares, quos constituit sub cura alicuius Abbatis exempti. Item Generalis Religionis potest eximere aliquem subditum à potestate Prælati loci, vel loci etiam provincialis, licet non possit auferre potestatem, & gradum aliorum Prælatorum. Denique, ipse Episcopus, licet non possit auferre officium Parochi, potest aliquem parochiarum eximere ab eius cura, & facere sibi immediatum: ergo poterit etiam eximere aliqua peccata à Parochi iurisdictione: plus enim videtur eximere aliquam personam totaliter ab eius iurisdictione, quàm aliquotum peccatorum absolutionem. Sicut ergo propter subordinationem debitam est in Episcopo potestas eximendi aliquam personam: sic potuit, & debuit manere, & conseruari potestas eximendi, seu reseruandi aliqua peccata, quæ merito dicunt manere directè propter Christi institutionem, qui instituit munus episcopale, cui committerentur oues; indirectè verò ex confessione Pontificis non tam positiua, quàm negatiua, qua noluit eximere Parochos ab hac subordinatione, sed reliquit eos, prout essent, si ab ipso Episcopo, vt meri Vicarij sui constituerentur amouibilibiter ab libito.

Hinc inferitur eum, qui reseruare potest, posse reseruare absolutionem sibi; vel posse etiam reseruare eam alteri, in quo sine causa hæsit Sorus in quarta, distinctione decima octaua: *quæstione secunda, articulo quinto*, dicens, si Episcopus reseruet vnum casum absoluerendum à Decano, alium ab Archidiacono, &c. reseruacionem esse ridiculam, & inualidam: quem bene impugnat Suarez *dicta sessione prima, numero octauo*, quia sicut poterat Episcopus reseruare sibi soli ea peccata, & postea vnum committere Decano, & aliud Archidiacono; cur non poterit antea ita reseruare, cum hoc nihil aliud sit, quàm ex nunc committere absolutionem talibus personis? Addo tamen, id intelligi debere, quando peccata illa essent in diuersis personis: nam, si essent in eadem, cum confessio non posset diuidi inter plures Confessarios; oporteret, quod ille, cui grauius peccatum reseruatum est, haberet facultatem ad alia, vel certè recurrerendum esset ad ipsum reseruantem, atque adeo perinde esset, ac si soli sibi reseruasset absolutionem in eo casu.

Quando

Quando secundam partem: *Quorum peccata referuntur*. Regula generalis est, eorum peccata posse referuari, qui subditi sunt referuari in hoc foro sacramentali, nisi aliqua specialis prohibitio Prælati superioris obstat. Dubium est de aliquibus personis in particulari. Et in primis dubitari potest de pueris an eorum peccata intelligantur referuata. Negant aliqui apud Dianam *primo tom. tract. 15. miscellan. resolutione 1.* ubi pro ea sententia affert Paludanum, Grassium, & Bellochium. Affert item ex illis rationem: quia sicut minor ætas in foro externo non excusat à pœna ordinaria; ita & in animæ iudicio. Hæc tamen ratio ad summum probat de reservatione, quæ statuitur, ut pœna; non de ea, quæ non est, ut pœna; sed ut medicina. Quare ratio illa non probat de casu ibi proposito; quando, scilicet, peccatum Sodomie est referuatum in aliquo Episcopo; nam referuatio illa non est pœna; sed est lex determinans casus, in quibus pro meliori remedio applicando debet recurri ad Prælatum pro absolutione: si autem esset pœna, non incurreretur ab ignorantibus reservationem, ut statim videbimus, & docet id Diana cum aliis *secundo tom. tract. 5. miscellan. resol. 12. & 13.* Certum autem est, illam reservationem afficere eam ignorantes, ut constat ex praxi omnium Religionum, in quibus ignorantia reservationis non tribuit facultatem absolvendi pœnitentem, qui reservationem ignoravit.

Loquendo ergo de reservatione, quæ non sit pœna, non video fundamentum illius exceptionis, ut peccatum mortale commissum à puero non sit referuatum: quod merito affirmant Homobonus de casibus referuatis, parte prima, c. 3. Lazarius tract. de blasphemis, questione 9. numero 42. & Floronus de casibus referuatis, parte prima, cap. 3. numero 3. Quando verò referuatio esset pœna, iudicandum erit de illa iuxta diversas sententias circa illam questionem, an, & quæ ætate pueri incurrant pœnas Ecclesiasticas à iure statutas: de qua videri potest Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 7. & 8. ubi alios refert, & Diana 2. tom. tractat. 6. miscellan. resol. 88.

Secundò dubitari potest de ignorantibus reservationem pœnalem, an illam incurrant: de quo late Thomas Sanchez lib. nono de matrimonio, disput. 32. à num. 15. ubi refert plures dicentes, ad incurrendam pœnam Ecclesiasticam non requiri scientiam prohibitionis iuris positivi. Alij dicunt eam scientiam requiri: quam sententiam ipse sequitur: & n. 18. dicit in terminis reservationem, quæ imponitur in pœnam delicti, quod prohibetur aliqua Bolla Pontificia, non incurrì ab ignorante inuincibiliter illam Ecclesiæ prohibitionem. Denique alij dicunt requiri non solum scientiam prohibitionis; sed etiã talis pœnæ impositionem: quare ignorans inuincibiliter reservationem peccati impositionem non illam incurreret: quam sententiam ipse Sanchez existimat probabilem, licet contrariam teneat ut probabilior. Ceterum, quia questio hæc generalis est ad omnes pœnas Ecclesiasticas, sufficit indicasse sententias probabiliores, quæ in hoc puncto sunt, ut unusquisque in facti occurrentia possit eam doctrinam probabilem ad praxim applicare.

## SECTIO II.

## Quæ peccata possint referuari.

Primò dubitatur de peccatis venialibus, an possint referuari. Quæ quidem questio pendet

omniò ab illa alia, an iurisdicção ad absolvendum à veniali detur à solo Christo, an ab Ecclesiâ. Qui enim dicunt dari à solo Christo, consequenter debent dicere non posse referuari ea peccata, cum Ecclesiâ non possit auferre potestatem à Christo in ipsa ordinatione Sacerdoti datam: atque ita consequenter Pater Vasquez questione 91. articulo tertio; dubia secundo. Iuxta aliam verò sententiam, quam supra amplexi sumus, dicentem eam iurisdictionem dari ab Ecclesiâ, & non à solo Christo, Vasquez ibi dicit, adhuc non posse referuari ea peccata quia referuare, non solum est auferre iurisdictionem ad aliquod veniale solvendum, verbi gratia, mendacium; sed est referuare sibi iudicium, obligando pœnitentem ex institutione huius Sacramenti ad confitendum, & subiiciendum tale peccatum coram referuante. Sed hæc erit questio de nomine: nam referuatio à multis non sumitur in eo sensu rigoroso; sed solum propt significat reservationem potestatis apud se auferendo eam omnibus aliis. Sicut etiam Papa dicitur referuasse sibi concessionem indulgentiæ plenariæ, quando eam facultatem abstulit aliis Episcopis: nam licet non obliget fideles ad petendam illam indulgentiam; neque ea sit illis necessaria simpliciter ad expiandum debitum pœnæ, cum possint aliis remedijs iuvare; dicitur tamen referuasse sibi eam concessionem, quatenus noluit alium, præter ipsum, posse eam indulgentiam concedere. Sic ergo posset referuare absolutionem à venialibus, si auferret aliis potestatem absolvendi. Quorum ad hoc tamen est questio de vocibus: de re autem dicendum est posse validè referuari à Summo Pontifice, revocando, quoad aliqua venialia facultatem, quam dedit: non tamen expedire, quia esset ferè inutilis omniò talis referuatio.

Secundò idem à fortiori dici potest de peccatis mortalibus, quæ iam iterum in confessione sunt clauibus legitime subiecta; posse quidem referuari eorum absolutionem validè, cum illam etiam potestatem dixerimus procedere ab Ecclesiâ; non tamen expedire, cum esset aequè inutilis talis referuatio.

Tertiò dubitatur de peccatis mortalibus merè internis, de quibus certum est, loquendo de possibili, posse referuari, ut cum aliis tradunt Suarez, & Vasquez locis supra citatis: quia non minus requiritur iurisdicção in Confessario ad hæc peccata absolvenda, quàm ad externa. Si ergo Superior neget hanc facultatem, non remanet iurisdicção in inferiori. Nec facit ad rem, quod Ecclesiâ non habeat facultatem ad præcipiendos, vel prohibendos actus merè internos; quia in præsentì potestas non est ad peccata, sed ad concessionem iurisdictionis in ordine ad absolutionem; quæ absolutio est actus externus. Sicut etiam Pontifex referuat sibi dispensationem voti meri interni circa aliquas materias.

Loquendo autem de facto licet apud Religiosos aliquando referuata fuerint peccata etiam interna: Pontifex tamen nunquam ea sibi referuat; neque etiam Episcopi communiter consueverunt ea referuare. Si aliquis autem Episcopus aliquod peccatum internum propter eius specialem gravitatem referuaret, v. g. hæresim internam, propt aliquis dicitur referuasse; valida erit referuatio. Sotus tamen dicta distinctione 18. questione secunda, articulo 5. reprehendit acriter talem reservationem: Et quidem raro expediet, maxime, si non solum Confessariis delegatis, sed etiam habentibus iurisdictionem ordinariam immediatam negetur potestas

N n 4 absolven